

quatuor nobis uerbi gratia proposita, has multiplicamus cum numero illis per unitatem maiore, id est ternario & sunt quater tria, duodecim: sed horum diniduum, tot ergo sunt coniugationes. Quia propter tribus nobis ut dictum est traditis, tres restant reliqua, quas nunc communi oratione docet. Nam quæ per affirmationem negationemque opponuntur, nunc communi ratione à cæteris tribus discernit. Nam in solis his partem eorum alteram ueram esse, alteram falsam perpetuo est necesse. Si enim dicam Socrates sedet, Socrates non sedet: horum alterum uerum est, alterum falsum: alio trium nec uerum nec falsitatem ullum significant. Nam si pater, uel album, uel nigrum: uel uisum, uel cæcitatem sex centies dixerit, nullum nec ueritatem nec falsitatem indicat. Quoniam si ipsa per se sine uerbis proferantur nomina nec ueritatem ullam nec falsitatem declarant: sicut uerbis cō, iungantur, tunc uel ueritatis significatiua sunt uel falsitatis. Quia & ipsa si per se dicantur uerba, nec ueritatem nec falsitatem indicant: quia si applicentur pronomini, ueritatem uel falsitatem ostendunt, ut ego ambulo. Enimvero & pronomina à uerbo ipso ambulo poreste continentur: etenim personam declarat. Id comprobata esse infinitiua: quippe quæ nec ueritatem declarant falsitatem uel, cum personæ non inducant ut ambulare, uel currere. Nudum enim ipsum est per se uerbum, nec facultate pronomine completitur, ut ambulo. Ergo si per affirmationem ac negationem dicta ueritatis sunt uel falsitatis indicatiua, trium autem cæterorum ne unum quidem ueritatem aut mendacium designat, eadem nulli horum opposito per affirmationem negationemque est. Neque enim semper in contrariis alterum uerum esse alteri falsum, neque in relatiuis, neque in habitu priuationemque: necesse est. Aduerbium Sæpe expropter adiecit, quoniam hanc aliquando subiectis complexa, capacia ueritatis aut falsitatis sunt, ut bene ualet Socrates, non bene ualet Socrates. Denique eorum quæ nullam cōplexionem dicuntur, neque uerum neque falsum esse ullum. Quæ per nullam dicuntur cōplexionem, eorum nullum aut uerum aut falsum indicat. Nam relatiua, & contraria, & per habitum priuationemque: opposita absque ullo dicuntur cōplexu, nihil hæc igitur ueri aut falsi declarant, quare nec eadem sunt cum his quæ per affirmationem atque negationem dicuntur. Verum enimvero id in illis euenire contrariis quæ per complexum dicuntur uideri possit maxime. Quam quis obiciere ipsi difficultatem potuisset, hanc alumnus ipse proponit, ac soluit. Contraria enim inquit quæ cum subiecti dicuntur complexum uerum falsumque: diuidunt. Nam sanus est Socrates uel ægrotat, partim uerum, partim falsum est, sed & uisum habere uel cæcum esse, uel patrem aut filium, hæc quoque uerum aut falsum ostendunt. Ad hoc igitur est hæc inquit uerum à falso diuidere per complexum uideantur, multo tamen uel hoc pacto ab affirmatione ac negatione differunt. Affirmatio enim semper & negatio in entibus omnibus & non in entibus uerum falsumque: diuidunt, nam cæcum esse Socratem uel cæcum non esse, uel album esse uel non esse album, uel patrem esse uel patrem non esse, siue sit ipse, alterum uerum semper necessitate est, alterum falsum, siue non sit, semper uerum est alterum. Nam qui ne quid omnino, si neque pater, neque cæcus, neque albus est. Et qui albam esse animam dicit aut albam non esse, & habere uisum aut uisum non habere & esse dextram aut dextram non esse, si parte altera uerus erit, altera mæietur. At non sic habent contraria, sed si quidem sit Socrates, uerum esse alterum necesse est, alterum falsum, nam aut frui il lum sanitate oportet, aut morbo torqueri, si non sit, ambo sunt falsa. Nam qui proflus non est, quoque pacto aut sanus esse, aut ægrotare: In priuatione autem & habitu, tum si sit, non semper contrarium uerum alterum est, sed ambo interim falsa, tum si non sit, falsum, semper est utrunque. Siquidem edentulum esse Socratem, aut habere dentes, super perit esse, uerum non est perpetuo alterum, sed est cum falsa sunt ambo, non existente, ambo semper sunt falsa. Nam qui ne quid omnino, quomodo aut esse edentulus poterit, aut dentatus: Similiter & in catulo, utrunque & habitus & priuatio, siue sit ille siue non sit, nempe & uisum habere

falsum est, & cæcum esse. Similis quoque in relatiuis ratio est. Nam & esse dextrum finitum uel, tum existente, non semper uerum alterum est, sed ambo falsa interim, si solus quispiam sit, tum falsa ambo rursus, non existente. Similiter partem quoque aut filium esse, & nisi sit, falsa tum ambo, & si sit, ambo falsa quandoque. Etenim si nec patrem quis nec filium habeat, cuius nō pater uocari aut filius poterit, nisi forte per memoriam: re uera dici potest nullius. Quamobrem opposita per negationem affirmationemque: ab aliis uel hoc pacto non parum differunt. Nam si hæc semper tum in entibus tum in non entibus uerum falsumque: diuidunt, cætera uero in entibus non semper, in non entibus nunquam, non idem ergo cum cæteris affirmatio est ac negatio. Quia & aliter dixeris. Nempe quæ quod ueritate interdum uel falsitatem prorsus admittant, non ipsi aliunde euenire quam ex eo quod in affirmationes eualent: quod quidem ipsa per se harum neutrius capacia sunt. Nam ualet Socrates, aut cæcus est, aut pater, aut id genus quidquam, affirmatio est. Quare & quod uerum aliquando uel falsum proflus diuidunt, id sibi propter affirmationem uideantur. Cæterum sciendum in his rursus quæ per priuationem & habitum, quæque relatiue opponuntur, medium inter contraria & affirmationem negationemque: locum obtinere. Nam cum uerum falsumque: affirmatio ac negatio in entibus omnibus ac non entibus perpetuo diuidat.

Contrarium autem bono quidem ex necessitate malum est: hoc autem per singulorum inductionem palam est: ut sanitatis languor: & iustitie iniustitia: & fortitudinis timiditas: similiter autem & in alijs. Malo autem aliquando quidem bonum est contrarium, aliquando malum: defectum enim cum malum sit, superabundantia contraria est, cum sit etiam ipsa malum. Similiter autem & mediocritas, cum utrique contraria sit, bonum est. Sed in paucis quis tale hoc aspiciet: in pluribus uero semper malo bonum contrarium est.

Contrarium autem bono Absoluta oppositorum diffinitione, quædam nunc quibæ præcepta contrario tradit, quorum primum est, Bonum quoddam malum omnino esse oppositum, malo autem bonum non prorsus, sed quandoque & malum. Ut iustitia, quæ est bonum, iniustitia, quæ malum est, aduersatur, & modestiæ petulantia. Tertia quoque uero id est pluris uendicationis, quæ malum est, non prorsus & inoppositum id est iustitia opponitur, sed etiam minoris uendicationis, ut excessus defectus. Quod uero in iustitia est admodum, ut uni duo statuatur pugnantia: unum enim ubique unum oppositum cernimus, ut aquæ ignem, graui leue, humidum siccum. Malo igitur bonum ut immoderationi moderationem oppositum dicimus, malo autem malum non item ut immoderationem moderationi inoppositum (siquidem immoderationes ambo sunt) sed ut excessus defectum. Nam cum uirtus in moderatione consideretur, uitium utrinque unum, alterum per excessum, alterum per defectum præstat. Iustitia uerbi gratia, quæ in moderatione contemplatur, excessus est, minoris uendicationis, quorum immoderatio est utrague, opponuntur enim ut immoderationi moderatio. Rursus modestiæ excessus procacitas, defectus stoliditas, fortitudinis quoque timiditas & audacia, prudentiæ caliditas atque amentia. Vtraque igitur declinatio uirtuti ut bono malum, & immoderatio moderationi obicitur, inter se uero non ita, sed ut defectus excessus. Quare non duo uni, sed unum uni oppositum est.

Amplius. Contrariorum non necessarium est si alterum sit, & reliquum esse. Sanis namque omnibus, sanitas quidem erit, languor uero non: similiter autem albis omnibus, albedo quidem erit, nigredo uero non.

Amplius. Secundum est hoc contrarium præceptum. Vnum enim si sit contrarium inquit, non necesse est esse